



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

3 Quando ise entur Censuræ à iure.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

An multiplicatis transgressionibus legis ipso iure censuram ferentis, multiplicetur censura.



Vperest dicendum, an in censuris latis à iure multiplicetur censuræ multiplicatis transgressionibus eiusdem legis, ut, si quis bis percussit clericum morali interruptione, bis sit excommunicatus, & sic de aliis. In qua re generalis, & recepta doctrina est, quoties nouum peccatum contra huiusmodi legem committitur, nouam censuram incurri, è contratio vero, si peccatum sit vnum tantum, licet continuata mora, & per varias actiones fiat, vnam tantum censuram incurri. Ita sentit Nauar. in Summa, capite sexto, n. 17. & 18. & late Vgolinus tab. 1. ca. 16. §. 3. n. 4. & sequent. vbi multa ad hoc adducit, quæ nec necessaria sunt, nec efficacia. Ratio enim tota consistit in vnitare vel multitudine transgressionum: nam, si transgressio vna est, non potest censura esse nisi vna: quia lex imponit censuram propter transgressionem: ergo, si transgressio est vna moraliter & formaliter, ut sic dicam, etiam censura vna erit. Et propter oppositam rationem, si transgressionibus plures fuerint, etiam censuræ multiplicabuntur: nam lex efficaciam habet contra singulas, siue alix præcesserint, siue non; ut patet manifeste, nam, si quis fuisset absolutus à censura contracta per primam transgressionem, & alia iterum commisset, sine dubio in nouam censuram incidisset: ergo idem erit etiam si prior censura ablata non fuerit, cum ob solam multitudinem in eodem subiecto non repugnent, ut iam ostensum est.

Totum opus est in declarando, quando transgressionibus sint numero distinctæ, nec ne: de hac enim transgressione nunc agimus: nam quando distinctio est specifica, siue sumatur ex totali diuersitate obiectorum, & actuum, siue ex circumstantiis mutantibus speciem in eodem obiecto & actu, tunc & res facilis est, & transgressionibus non sunt contra idem formaliter præceptum, licet naturaliter vnum esse dicatur, ut statim amplius explicabo. Itaque vnitatis vel pluralitatis numerica transgressionis in hac materia eadem proportionem explicanda est, quam illam supra declarauimus in ordine ad integritatem confessionis. Quod eo hic erit facilius, quo hæc transgressio præcipue consideranda est in actu exteriori, in quo causa censuræ consummatur.

Duobus autem modis potest hæc vnitatis vel distinctio spectari. Primo ex interruptione, vel continuatione actus: nam, quamdiu actio sine morali interruptione continuatur in ordine ad consummandum eundem effectum, transgressio vnica est, ut si quis per aliquod tempus verberet clericum, ut patet ex c. Cum pro causa. de Sent. excommun. Quando vero moraliter interruptitur actio, & altera postea inchoatur, noua est transgressio. Quæ autem sit interruptio moralis, partim ex mora temporis, partim ex modo & circumstantiis, & ex actionibus interpositis, penſandum est, vt alibi latius dixi.

Secundo potest hæc vnitatis, vel distinctio considerari ex parte obiecti seu materiæ circa quam versatur peccatum, seu transgressio. Et tunc difficilius est distinguere peccata, quia potest contingere, ut sine interruptione morali aliquis percutiat vnum clericum, & statim incipiat percutere alium: vbi, si respiciamus ad imperium operantis, & continuationem actionis, videtur esse tantum vna transgressio canonis, Si quis suadente. Si autem respiciamus ad personas offensas, videntur esse diuersæ iniuriæ: idemque ob similem rationem erit, si vno ictu plures interficiat. Difficile autem est illas existimare diuersas transgressionibus, quibus distinctæ censuræ respondent.

verbo absoluat à pluribus censuris, plura vincula A tollit, vnde passim possunt dici plures solutiones: quamuis actiue vna absolutio videatur.

Oportet tamen, ut dixi, singulos titulos seu causas excommunicandi per se sufficientes esse: alioqui non erunt plures, sed partialiter componentes vnam causam totalem, cui censura vnica respondebit. Nec satis erit in se esse sufficientes, sed oportebit, ut tales assumi, ex intentione ferentis censuram: quia sententia non operatur ultra intentionem iudicantis. Vnde necessarium etiam est, ut talis intentio sufficienter in sententia exprimat: quia alias odiosa sententia in mitiorem partem explicanda erit. Tunc autem maxime videtur hoc constare, quando sententia magis est denuntiatiua seu declaratoria, quam illatiua censuræ. Et talis videtur fuisse in casu dicti. c. Cum pro causa, nam duæ causæ ibi numeratæ, scilicet violenta manuum iniectio in clericum, & violatio immunitatis Ecclesiæ, tales sunt, ut vnæqueque habeat suam censuram ipso facto annexam: & ideo, qui in vtroque criminofus declaratur, duplici censura innodatus id nunciatur, etiam si vnica sententia, seu denunciatione id fiat. In censuris vero ab homine illatis rarius id accidit. Quando vero circa singulas causas diuersæ, & sufficientes præcesserunt monitiones sub comminatione talis censuræ, & circa singulas præcessit sufficiens contumacia, tunc, licet per modum vnius videatur ferri sententia de omnibus: re tamen vera accommodatur materiæ, & rei subiectæ, ac proinde plures censuras operatur. Si vero aliter fieri contingat, censura erit vna respiciens plures illas causas per modum vnius, quæ proinde auferrî non poterit, neque in totum, neque ex parte præcedente sola satisfactione pro vna causa, nec per absolutionem in illa satisfactione fundatam, sed erit nulla absolutio, nisi adquate omnes illas causas respiciat, ut sumitur ex Abbate, & aliis in dict. c. Cum pro causa.

Abbas.

13
Pro eadem materiali causa possunt à diuersis superioribus diuersa censuræ ferri, Abbas.

Præterea addendum est, à diuersis iudicibus, seu superioribus posse in eundem distinctas numero censuras ferri propter causam quodammodo eandem, & quodammodo diuersam: nam materialiter apparet eadem, formaliter autem diuersa esse videtur. Hoc patet primo, quando vna censura est à iure, & alia ab homine. Potest enim aliquis simul, & pro eodem delicto, à iure, & ab homine excommunicari: ut notauit Abbas in capite Grauem, de Sententia excommun. numero quinto, quamquam iura, quæ afferunt, id non probent: tamen, cum ius non adimat homini potestatem, vel iurisdictionem, poterit ipsæ censuram ferre, non obstante censura iuris, si ad terrorem vel exemplum aliorum ita expedire censuerit. Tunc autem, licet delictum vnum esse videatur, contumacia formaliter est diuersa: nam censuram à iure latam incurrit quis, hoc ipso quod ius transgreditur: Vt vero postea ab homine ob idem delictum excommunicetur, necesse est: ut ab eo moveatur, ei que sit contumax: est ergo ibi alia, & alia contumacia, proprie ac formaliter eas considerando. Idem pari ratione est in sententiis censuræ, latis à diuersis superioribus habentibus propriam iurisdictionem in solidum, si tales sint, ut vltus vnus, vel præoccupatio non impediatur vltus alterius. Tunc enim vnusquisque poterit uti iure suo, & ferre censuram non obstante censura lata ab alio: oportebit tamen ut præcedat respectiua contumacia, ut sic dicam, præmissa propria vnus cuiusque monitione. Idemque proportionaliter est in sententiis à iure latis, si iura, & præcepta sint formaliter diuersa: qualia erunt, si vnum sit ius commune, aliud particulare statutum ordinarij, dummodo constet nouum condere ius, & nouam penam imponere.

* * *

Respondent: tum, quia illa distinctio est valde materialis respectu transgressoris: ipse enim moraliter vnicam exercet actionem, siue personae sint plures, siue vna: & fortasse non plus peccat in vna transgressione, quam in alia, si cetera sint paria: tum etiam, quia alias, qui plura vasa argentea ex eadem Ecclesia subriperet, plures incurreret censuras, supponendo, tali sacrilegio ipso facto esse annexam censuram. Dici potest illam esse vnam iniuriam, quia supponimus, vna actione physica, vel moraliter continuata fieri: & eidem personae seu templo, vel collegio subeunti vicem vnius personae offensae: nam vnitas, vel multiplicitas iniuriae ex persona, cui fit, non ex rebus sublatiis sumenda est. Sed contra, nam inde fit, ut is qui actione continuata, v.g. per totam noctem vniuersa vasa, & res sacras ex vno templo subripit, vnicam censuram incurrat: si vero res eadem ex duobus templis eodem tempore, & continuatione actionum furatur, distinctas incurrat censuras: quod non videtur verisimile. Sicut etiam non apparet credibile, quod expilando in domum ararium eadem actione & voluntate, & in eadem quantitate, si totum illud sit vnius domini, v.g. vnius Ecclesiae, sit vnum sacrilegium, & causa vnius censurae: si vero ararium sit plurimum Ecclesiarum, non per modum vnius, sed per modum plurium, quia vnaquaeque habet ibi partem suam quasi in depositum, vel custodiam, transgressiones sunt plures, quia iniuriis plures sunt, cum sint plures personae offensa: & consequenter censurae. Simili modo dicendum erit, eum qui cum vno excommunicato per horam conuersatur, vnam excommunicationem incurrit: si vero ibi simul adsint duo excommunicati, & cum utroque simul per eandem horam conuersetur, incurrere duas: quod etiam non videtur verisimile, quia moraliter ibi est vna transgressio.

Aliunde autem non videtur posse negari, quin ex variatione personarum cum quibus, vel contra quas peccatur, multiplicentur aliquando transgressiones & censurae, etiam si alioqui actio videatur vna, vel moraliter non interrupta. Vt v.g. si quis interfecit vnum hominem, & statim eodem impetu, & continua successione actionis interfecit alium, sine dubio sunt distincta homicidia, & si censura sit imposita homicidii, duas incurrit: sicut etiam Iurista aiunt, contra eum, qui in eodem congressu alium vulnerauit, & tandem occidit, non dari actionem vulnerantis & occidentis, sed occidentis tantum in *Lillud*, s. ff. Ad legem Aquilae. At vero si vnum occiderit, & alium vulnerauit, vtriusque actio in eum dabitur, ut per se notum est. Idem est in peccato adulterij, v.g. si quis post consummatum peccatum cum vna, statim sine interruptione morali ad alteram accedat. Imo in hoc genere peccati non solum respectu diuersarum personarum, sed etiam respectu eiusdem hoc verum habet. Quocirca difficile, est generale regulam in his rebus moralibus assignare. Pendente enim ex circumstantiis, & ex modo actionis.

In primis tamen considerandum censeo, an actio, qua consummatur transgressio, propter quam incurritur censura, simul fiat, vel per partes sibi succedentes, vel moraliter continuas. Rursus, quando hoc posteriori modo fit: attendendum est, an actiones illae moraliter component vnam, vel vna non sit pars alterius, etiam si continue sibi succedant: nam quando se habent priori modo, vna transgressio consummatur per omnes, vt per se notum est: & ideo vna incurritur censura. Quod vero duae actiones alioqui eiusdem speciei in malitia, continuatione morali factae non component vnam, nec partes inter se vnig censatur, ex duplici capite videtur posse oriri. Primo ex diuersitate subiectorum circa quae fiunt, seu terminorum ad quos tendunt, unde habent suam moralem rationem. Sicut enim Aristoteles in

A Physicis dixit, ad vnitatem motus non sufficere vnitatem temporis sine vnitatem subiecti: ita hos hic dicere possumus, ad vnitatem transgressionis non satis esse immediatam successionem sine interruptione ex parte temporis, quia mutatio subiecti potest sufficere, vt moraliter censeatur inchoari noua actio & transgressio. Et hoc probat exemplum de homicidio, & de vulneratione vnius, & occisione alterius, & idem credo esse de furto, & de quacunque actione iniuriola. Et fortasse extra materiam iustitiae hoc non reperitur: nam, si quis continuata actione nunc comedat carnes, deinde pisces, tempore prohibito, vna est transgressio, licet subiecta seu materia circa quas versatur actio videantur distinctae. Et ratio esse videtur, quia iustitia, & iniuria sunt magis ad alterum: & ideo dixi ibi non vnicum variari subiecta, sed etiam terminos, respectu quorum habent actiones malitiam suam: quod non ita est in materia temperantiae, & in alijs virtutibus, quae respiciunt medium in ordine ad ipsum operantem.

Aliud caput moralis interruptionis, absque mora temporis interposita, est posse, quando prior actus natura sua tendit ad deinitum terminum, in quo consummatur: & ideo qui postea immediate succedit non est pars alterius, sed nouus actus. Quae ratio per se est efficax, & declaratur aperte exemplo duplicis adulterij, vel fornicationis: nam licet fiat cum eadem persona, & sine interruptione temporis quantum fieri potest, nihilominus sunt duae transgressiones sufficientes ad duas censuras, si lex sit lata. Idem opinor fore, si iudex contra Ecclesiam immunitatem per vim extrahat vnum hominem, & statim sine interruptione ad eandem Ecclesiam tendat, & extrahat alium: existimo enim esse duas transgressiones, & incurrere duas censuras: si vero eodem genere continuationis, quis furaretur res Ecclesiae, successiuus, & partialibus apportionibus, existendo esse vnum sacrilegium, & vnam censuram, si lata sit. Et ratio est, quia primum genus peccati tale est, vt circa vnam personam consummetur: & ideo vis vni facta non componit vnam actionem cum vi facta alteri: at vero furtum non habet materiam, vel terminum certum, in quo consummetur. Et per hoc videtur posse sufficienter ferri iudicium de omnibus similibus transgressionibus, quae successiuae tamen immediate, seu proxime fiunt.

Quando vero tota actio simul fit, terminatur vero ad plures personas, vel obiecta, difficilius ibi distinguuntur plures transgressiones, quia, licet actio aequialet multis, retamen vera est vna, & vnum peccatum grauius. Et ita mihi probabile est indicere, v.g. qui simul duos homines duabus manibus teneret, & ita extraheret ab Ecclesia, vnicam censuram incurrit: & idem censeo de illo, qui eodem tempore simul conuersatur cum duobus excommunicatis: quia reuera illa distinctio personarum in tali materia parum confert ad multiplicanda peccata. De casu vero homicidij, quando vno ictu occidit quis plures clericos, res est magis dubia: videtur tamen etiam probabilis haec pars: quia simpliciter vnum est peccatum, & vna transgressio, quae in vna actione consistit, quamuis ex ea resultent plures passiones, vel plura nocumeta, quae potius sunt plures effectus vnius peccati, quam plura peccata.

Obiicies, quia, si illa homicidia separatim fieret, plures incurrerentur censurae: ergo etiam si simul fiat: alioqui concurrentia delictorum ad eorum impunitatem iuuaret: quod est contra rationem, & contra legem. Nunquam plura, ff. de Priuatis delictis. Et confirmatur, quia si plures homines simul concurrant ad eandem actionem, vt sacerdotem occidant, tot incurrunt censuras, quot sunt homines occidentes: ergo & e conuerso, si vna actione plures occidantur, tot incurruntur censurae, quot fuerint homines occisi. Respondetur, primum argumentum

1 4 aequè

Variatur
la ad dyer-
nendam v-
nitatem, vel
multiplici-
tatem actio-
nis ex parte
obiecti.

Quid si vna
actio ad plu-
res personas
terminetur.

æquè applicari posset ad plures percussiones simul, vel diuersis temporibus eidem factas: & ad furtum plurium rerum vnica acceptione, vel pluribus, & diuersis temporibus factis. Negatur ergo consequentia, quia cum simul totum sit, est vna transgressio, cum vero separatim, sunt plures. Non solum enim in actionibus moralibus, sed etiam in moribus physicis, & in suo modo in rebus permanentibus, coniunctio, vel separatio efficit rei vnitatem, vel multitudinem.

Neque illa lex, quæ adducitur, est ad rem, tum quia hic nullum delictum manet impunitum: totum enim illud homicidium, vel sacrilegium, puni-
tur, v.g. excommunicatione; non vero excommunicationibus, quia non sunt plura peccata: solum accidit vt grauius delictum, & æquiualeat multis, vna tantum censura puniatur; cum tamen singula delicta leuiora simili censura, & plura simul multis censuris puniantur. Sed hoc non est inconueniens, quia est per accidens, & in exemplis furti, vel vulnerationis constat idem accidere. Tum etiam, quia illa lex intelligitur de pluribus delictis, quæ manent plura, & moraliter differunt specie, vt sunt furtum, & homicidium eiusdem ferui, v.g. nam de his, & similibus illa lex expressè loquitur: hic autem non sunt plura delicta, sed vnum æquiuales multis. Vnde ad confirmationem negatur etiam similitudo, quia vbi sunt plures occisores, sunt plures transgressiones: vbi vero occisi sunt plures vno ictu ab vna persona facto vnica est transgressio.

Itaque hæc pars speculatiue sumpta, videtur satis probabiliter defendi, quamuis opposita teneat Nauarr. in Sum. c. 6. n. 18. citans Ioannem Andream, nullam vero rationem adducens. Contra eum verò ad hominem argumentamur, quia paulò inferius ait; eum, qui vno actu imprecatur mortem alicui familiæ toti, licet in ea sint plures personæ, vnum tantum peccatum committere, quia respicit omnes illas per modum vnius collectiue. Ait etiam, qui vno verbo blasphematur de duodecim Apostolis, vnum peccatum committere. Pari ergo ratione, si vno ictu plures occidat, vnum peccatum committi, quia in omnes tendit per modum vnius: & sicut nocuum in hoc genere peccati deriuatur ad singulos personaliter, & distributiuè, vt sic dicam, ita & in exemplis adductis. Eadem tandem sententiam defendit Vgolin. supra n. 8. non verò adducit rationes, præter supra innuatas, quæ firmæ non sunt.

Philominus tamen, quia hæc pars securior est, ea videtur in praxi sequenda: quia illa simpliciter censetur plura homicidia, & hoc sufficit in ordine ad censuram siue in rigore peccata sint plura, siue non: quia censura fertur ratione iniuriæ factæ tali personæ, vel ratione homicidij, &c. Quod adeo verum est, vt licet peccatum fuerit commissum, si re ipsa non fuit illata iniuria, vel damnum prohibitum, censura non incurritur: ergo & contrario, si iniuriæ fuerint numero diuersæ ex distinctione personarum, quauis ex eadem actione culpabili procedant, satis erit ad incurrendas diuersas censuras. Denique (quod ad praxim etiam pertinet) vt valida sit absolutio à tali censura, vel facultas impetrata ad absolutionem obtinendam, necessarium erit exprimere in causa censuræ numerum personarum, seu clericorum occisorum. Non est tamen hoc scrupulose extendendum ad omnia in quibus plures personæ vna actione iniuria afficiuntur: quia in aliquibus videtur esse valde accidentarium, vt in exemplo furati depositi: in aliis est minor distinctio moralis, & plures quasi collectiue per modum vnius concurrunt, & in confabulatione cum pluribus simul.

Quid si aliquis violat legem vno actu habente plures circumstantias, quarum qualibet sub censura prohibetur.

Ex his facile intelligitur quid dicendum sit, quando aliquis violat legem vno actu habente plures circumstantias, quarum singula sub censura prohibentur, vt si esset lex prohibens sub censura comedere in die ieiunij ante eam horam, & talem cibum, &c. Et respondeo breuiter, si illæ circumstantiæ tales sint, vt mutant speciem actus moralis, tot incurri censuras, quot circumstantiæ violantur: quia propter singulas per se sumptas incurreretur censura, vt supponitur: quando autem simul concurrunt, quamuis materialiter coniungantur, formaliter manet distincta peccata in specie: ergo plures transgressiones, & plures censuræ. Si vero illæ circumstantiæ non mutant speciem, sed aggrauant intra eandem speciem peccati, vna incurretur censura, quia vna est tantum transgressio. Vnde quando circumstantiæ sunt prioris rationis, accidentarium, seu quasi materiale est, quod diuersis legibus, vel vna lege prohibeantur: nam licet dicatur lex vna quasi materialiter, quia vno contextu illa omnia prohibet, tamen æquiualeat multis, & (vt ita dicam) in singulis propositionibus singulas leges tradit.

Exemplum optimum est in Clement. 1. de Sepul. vbi quatuor simul sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibentur, scilicet sepelire in loco sacro hominem publice excommunicatum, vel nominatum interdictum, vel tempore interdicti in casibus non concessis, vel publicum vsurarium. Quæ prohibitiones, saltem quoad tria capita videtur diuersarum rationum: quia sepelire vsurarium non est violare censuram aliquam, sicut est sepelire excommunicatum, vel interdictum. Et hæc duo inter se etiam videntur diuersarum rationum, sicut ipse censura diuersæ sunt: quapropter, si idem publicus vsurarius esset excommunicatus, & interdictus, sepelire ipsum in loco sacro esset triplex sacrilegium formaliter diuersum, & consequenter sufficiens ad tres excommunicationes incurrendas. At vero eandem personam interdictam tempore interdicti sepelire in loco sacro, non esset duplex peccatum, neque ex illo oriretur duplex censura: quia illæ circumstantiæ non variant speciem moralem, sed aggrauant violationem eiusdem censuræ. Sicut etiam in exemplo supra posito de ieiunio, si quis comederet cibum prohibitum, & tempore prohibito sub censura, non ideo incurreret duas censuras, sed vnam: quia totus ille actus vnius rationis est, & illæ circumstantiæ magis, ac magis illum corrumpunt intra eandem speciem.

Vnde non refert, quod singulæ per se sufficerent ad inducendam censuram: quia inde solum colligitur peccatum grauius, & minus graue posse sufficere ad hunc effectum, non vero quod qualibet maior grauitas multiplicet censuram, si non multiplicat delictum. Idemque erit, si quis violenter percutiat sacerdotem, qui etiam est diaconus, subdiaconus, &c. qui ordines per se singuli sufficiunt, vt percussor sit excommunicatus; & tamen non propterea in plures excommunicationes incidit: quia omnes illi ordines concurrunt per modum vnius, & solum aggrauant delictum in eadem specie. Aliud vero dicendum videtur, si quis violenter percutiat eum, qui simul & clericus, & monachus est; nam, sicut diuersarum rationum sunt cōsecrationes, quæ in clerico, & monacho considerantur, ita & prohibitiones illæ, & transgressiones diuersarum rationum videntur. Vnde, licet in eodem cap. si quis iudante, contineantur, tamen vt distincta traduntur, scil. qui clericū, vel monachū, &c. Et hæc videntur sufficere de multiplicatione, seu iteratione censuræ.

SE-